EPISTOLA PASTORALIS

AD

CLERUM ET POPULUM

ALBANENSIS DIOECESEOS.



ROMAE
TYPIS S. CONGREGATIONIS DE PROPAGANDA FIDE
1843

PETRUS OSTINIUS

S. R. E. CARDINALIS

MISERATIONE DIVINA

EPISCOPUS ALBANENSIS

UNIVERSO CLERO ET POPULO SUO

Gratia, et Pax Christi.

Dimissa haud ita pridem Aesinae Ecclesiae procuratione, gravissimo sane Episcopatus onere, uti spes erat, in posterum relevatus, ecce iterum subire illud cogor, ac tamquam ex portu aliquo, ubi tantisper constitissem, pristinis illis curarum fluctibus, ac jactationi proponor. Quum enim Jacobus Iustinianius Cardinalis vir omni laude spectatissimus e vivis excesserit, visum est SSñio Dño Nostro GREGORIO XVI. Pont. Max., ut in eius locum ipse suffectus Ecclesiam istam Albanensem moderandam susciperem. Equidem re expertus quantum negocii, quantum sollicitudinis Episcopatus habeat, modis omnibus illum a me fuissem deprecatus, nisi menti succurrisset, supremi Antistitis voluntati, ex qua divinum consilium innotesceret, plane mihi esse acquiescendum, et ab ipsius bonitate Numinis necessariam opem praesidiumque in tanti curatione muneris expectandum. Nec mediocrem mihi alacritatem attulit florentis istius Ecclesiae laus, quae

prope Urbem sita, sedem, atque arcem Christianae fidei aetate qualibet praeclaris meritorum ornamentis enituit; quae cogitatio sic me trepidantem confirmavit, erexit, ut suscepti iterum tam sollicìti muneris non omnino poeniteat.

Vester itaque Episcopus renuntiatus, Venerabiles Fratres, et dilecti in Christo filii, non deterrebor, quin omnia mea studia, consilia, labores, omnes denique meae vitae rationes vestrarum animarum utilitatibus plane devoveam; ac tamquam in aliqua specula collocatus manebo in perpetua vigilia ne pópulus meae fidei concreditus quidquam capiat detrimenti. Utinam superiorum Antistitum, ac postremi inprimis, qui vos summa cura, atque industria gubernarunt, illustria referre exempla videar! Utinam ex hominibus, qui mihi commissi sunt, perdidisse neminem gratulari mihi ipse aliquando possim! Haec ut efficiam, omni ope adnitar; vos autem, filii carissimi, Pastoris vocibus boni volentesque audientes sitis, oves quippe pastoris vocem audire debent, quove ipse velit accurrere.

Haec generatim universis; nunc ut moris est, peculiaria singulis. Ac primum vos appello, qui mihi adsidetis, Cathedralis Templi Canonici. Animadvertatis quaeso, quam sancte sancta tractanda sint; illud vobiscum reputetis, ex sacris ritibus accurate graviterque peragendis fidelium pietatem excitari maxime, atque inflammari: contra, illam debilitari, et vero etiam extingui prorsus, si sacrorum administri in divinis celebrandis mysteriis nullam curam, modestiam, gravitatem adhibeant. Date operam idcirco, ut exemplo vestro Christiana plebs ad religionis cultum quibusdam quasi facibus incendatur. Sed haec hactenus, neque enim hortatore indigetis, qui officio vestro cumulatissime satisfacitis.

Vos nunc mea spectat oratio animarum curatores, quos ad mei muneris partes sublevandas quasi socios, atque adju-

tores adscisco. Vobis gregem mihi a Christo regendum datum, quanta maxima cura possum, commendo. Cavete, ne vobis indormientibus cruenta fera in septa ovilis irrumpat, caedemque ovium faciat acerbissimam. Erigite afflictas, sectamini errantes, compescite insolescentes; nihil unquam de sedulitate, ac studio tuendi dominici gregis remittatis velim. Quod si, ut infirma est hominum natura, perpetuis defatigati curis aliquando defeceritis, certa, atque explorata caelestium praemiorum spes, vosmet sustentet, atque erigat.

Vos nunc, quocumque Ecclesiastico ordine insigniti estis, morabor paucis. Vocati in sortem Domini, mortalia haec, caduca, mobilia refugere, atque aspernari debetis, aeterna tantum spectare, ac persequi. Vobis non otio torpendum, verum in excolenda vinea Domini strenue laborandum. Facite ut vestris illa exculta laboribus florescat, ac niteat. Enimvero caelestis pater familias vestri operis mercedem dabit uberrimam.

Neque vos praetermittendos censeo Seminarii Alumni, qui Ecclesiasticae militiae tyrocinium quodammodo posuistis. Vobis profligandi olim, ac perdendi Religionis hostes teterrimi, qui si aetate qualibet, hac nostra potissimum vehementius eruperunt. Doctrina, ac pietate instrui vos, ac muniri decet, ut bellum tam grave, tam periculosum, tam longe lateque dispersum animose, ac fortiter suscipiatis. Ab ineunte aetate virtutis semitam ingrediminor, quam enim nunc ingressi fueritis viam, ab ipsa illa nunquam in posterum declinaveritis. In vestri expectatione Albanensis isthaec Ecclesia, nedum ipse conquiesco; quam de vobis excitastis spem, egregie ut impleatis, pro viribus adnitamini.

Vos etiam compellandos arbitror, Religiosorum Ordinum viri, qui abjecta rerum humanarum, et fragilium cura, expeditiores multo in caelum contenditis. Perfectionis iter, asperrimum licet, excurratis alacriter, quod scilicet praesti-

teritis, si vestrorum Patrum leges diligentissime custodieritis. Quantum sane commoditatis vitae severioris exemplo in hominum societatem conferre potestis; verum opere inprimis, nedum exemplo, proximorum saluti consulatis oportet. Quocirca oro vos, atque obtestor, ut meos conatus in tam gravi obeundo munere, quantum in vobis situm est, adiuvetis; quod quidem a pietate vestra explorata, et cognita cumulate me assecuturum esse confido.

Vos etiam breviter cohortabor, Virgines Deo sacrae. Vos quidem pulcherrimo illi sponso dedistis fidem qui pascitur inter lilia; Virginitatis florem, quem illi devovistis, custodite sedulo, ut purum, ac nitentem eidem exhibeatis. Memineritis praeterea, sine bono opere, ut sapienter Sanctus Gregorius monet, haud magnam esse castitatem. Nolite aemulari fatuas virgines, sed lampades vestras boni operis oleo imbuatis, quo splendidius elucescant, ne quum sponsus advenerit, a castissimis illius nuptiis gravi cum moerore rejiciamini. Vos fundendis quotidie precibus opitulemini Ecclesiae tot circumventae hostium armis, meque tanto onere laborantem vestris item precationibus relevetis.

Doctrinarum, atque Artium Magistri, perpendatis velim quam gravis provincia, quam difficilis vobis data sit, eam ut recte geratis pro virili parte contendite. Vestro ex officio rei sacrae, ac publicae felicitas pendet: si namque adolescentium coronam ad omnem virtutem nedum ad bonas artes institueritis, lectissimis certe civibus, et ad munia quaeque paratissimis patria floruerit. Numquam vero doctrinam a virtute dissocietis, nefarium est enim tamquam membrorum a capite, sic bonarum artium a religione, ac pietate dissidium.

Magistratus, atque Optimates, vobis profecto peculiaris quaedam bene agendi necessitas imposita; enimvero munerum, ac generis dignitas nulla re amplificatur magis, quam recte factorum gloria. Date operam, ut quem obtinetis. ho-

nor, non a fortuna commodatus, sed a virtute quaesitus videatur.

Vobis autem, reliqui homines, quos iam nunc pastorali mea sollicitudine complector, semel, iterum, ac tertio cum Joanne dicam « *Filioli diligite alterutrum.* » Si namque Christiana charitas vestros animos comprehenderit, ceterae etiam virtutes inter vos efflorescent, quae quidem ex charitate, tamquam ex radice progerminant.

Nunc quando divino destituti auxilio nihil boni aggredi possumus, rerum omnium auctorem Deum exoremus impensius, ut mihi tam grave munus, atque impeditum suscipienti ope sua adesse velit, quo Episcopatus hic meus mihi, vobisque benevertat.

Praesenti illius praesidio committamus etiam Gregorium XVI. Pont. Max. ut quem in tanta perturbatione temporum ad supremam Apostolorum Principis Sedem evexit, Eum pro incolumitate, atque otio christianae rei fortunet, ac sospitet.

Quae ut facilius assequamur Dei Mater, atque humani generis adiutrix Maria obsecranda nobis est; supplicemus etiam Pancratio Martyri invicto, istius Ecclesiae Patrono, qui in ipso aetatis flore Christianae fidei veritatem suò sanguine confirmavit. Reliquos etiam caelites, qui peculiari apud vos honore coluntur, ac praecipue D. Bonaventuram hujus olim Sedis Antistitem deprecatores apud immortalem Deum adhibeamus. Horum ope, ac tutela fausta omnia ac felicia isti gregi ominatus, pastoralem benedictionem meae voluntatis, ac studii testem, peramanter impertior.

Datum extra Portam Coelimontanam Idibus Aprilis Anno MDCCCXLIII.



IMPRIMATUR

Fr. Dominicus Buttaoni Ord. Praed. S. P. A. Magister.

IMPRIMATUR

Joseph Canali Archiep. Colossen. Vicesgerens.

